

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

In. Epistolas M. Tvllii Ciceronis Qvae Familiares Vocantvr Paulli Manutii Commentarius

Manuzio, Paolo

Venetiis, 1579

Illvstrissimo Atque Excellentissimo D. Iacobo Boncompagno Vineolae
Marchioni Et Generali S.R.E Gvbernatori

[urn:nbn:de:gbv:45:1-764133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-764133)



ILLVSTRISSIMO

ATQVE

EXCELLENTISSIMO

D.

IACOBO BONCOMPAGNO

VINEOLAE MARCHIONI

ET

GENERALI

S. R. E

GVBERNATORI



ELLEM, Illustrissime, atque Excellentissime, IACOBE BONCOMPAGNE, tantum in me esset ad dicendum facultatis, quantum eximijs Tuis erga me meritis aliqua saltem ex parte respondere posset. Non ingratum profecto me, neque indignum, in quem beneficia conferrentur, experireris. efficeremque, si qua ratione possem, ut incitamento essem hominibus ad exercendam beneficentiam: cum ex beneficijs apud gratos, ac memores animos collocatis tantum percipi gloriae fructum uiderent. Ego, cum te multos abhinc annos ad summa omnia natum cognouissem, eximia naturae tuae ornamenta praedicare numquam destiti. Ad quae cum postea (quae summa est Dei prouidentia) accessisset maxima potestas, Tu, mores tuos ueteres retinens, nihil umquam egisti, in quo summus splendor non elucesceret, nihilq. praetermisisti, in quo solidae laudis specimen non appareret. Quaeq. uirtutes Principum propriae esse debent, eas Tu, istam fortunam natu, semper coluisti, & ita coluisti, ut, qui caecam esse Fortunam, & immerentibus semper fauere solitam conquerun

★ 2 tur,

tur, eorum stultam opinionem re, ac factis facile confutares. raris enim, quod raro admodum contigit, eoq. praeclarius existimandum est, ut litterarum studia numquam in summis negotijs dimittas. ex quibus cum ea hauseris, quae Te ualde illustrant, uis eis gratiam referre: optimeq. refers. Tu litteratos homines, litterarumq. studia cum perpetuo Tibi fouenda in animum induxeris, quid est, quod Tibi earum nomine a litteratis hominibus non debeat? Si Tu de tuo detrahis, ut eorum commodis inferuias, aequum est eos uicissim de suis commodis detrahere, nomini ut consulant tuo. Et, quamuis non Tu id agis, ut aliquam Tibi laudem ex beneficijs compares, qui omnia in ipsa uirtute fixa, & locata habeas, nihilq. aliud a solida uirtutis laude quaeras, est tamen, quod hoc ipso nomine maiores quoque Tibi laudes debeantur. Ego certe, & Venetijs, & ubicumque esse mihi contigit, & ex alijs audiui tuam eximiam praedicari humanitatem, & ipse alijs dicentibus filere tamen non poteram. Venetijs multi cum sint, Maphaeus Venerius in primis est ex Patricijs, qui tua egregia facta, dictaq. in ore semper habeat, Tui recordatione mirum in modum moueatur, mirifico quodam Tui amore, ac studio flagret. Contigit mihi superiore anno, his propemodum diebus, Parentium adire, Ciuitatem in Istria portu celebrem, multisq. de causis satis illustrem. grassabatur in ijs locis tum temporis pestis. eo Marcus Venerius ex Veneta nobilitate, magni ingenij uir, & summae cuiusdam prudentiae, Xuirum decreto, ad eam extinguendam publice missus fuit. cui adiunctus ego Secretarij munere sum. Credas affirmanti, nihil mihi magis placuit, nulla ue alia re magis sum affectus, quam Caesaris Denores, illius Ciuitatis Episcopi, sanctissima consuetudine. homo integerrimus, cui diuina ita curae sunt, ut, omnibus alijs posthabitis, nullam in aliam curam incumbat, quam ut suo muneri satisfaciat, quo tempore uel ab huiusmodi curis, in quibus totus est, uel a sacrorum librorum lectione, in qua ita horas locat, ut suorum studiorum fructum non uulgarem suis ciuibus, publice eos admonendo, & cohortando, impertiat, Te ita semper decantabat, tuasq. uirtutes ita extollebat, ut ipsum me, qui Tibi plurimum debeo, Teq. ita colo, & obseruo, ut nihil ardentius fieri possit, uincere interdum uideretur. Ita, quos dies pestilentiae uis insuaues reddebat, ij Tui honestissima mentione hilariores accidebant, ad meumq. singulare erga Episcopum studium tantum hoc nomine accessit, quantum accedere posse uix sperassem. Materiam habebamus tam amplam, tamq. uberram, dies potius ut ipsi, horaeq. nos deficerent, quam tuarum laudum exitum

exitum

exitum nostra reperire oratio posset. cumq. multi de Te, ijq. perhonorifici sermones forent, numquam tamen mirum accidit nobis, Te Tui similem esse, in Teque, tamquam in speculo, GREGORIUM. XIII. agnosci: qui cum omnes suas cogitationes ad summa quaeque a prima aetate instituerit, beneficentiamque, unam inter uirtutes Principe dignas praecellentem, semper adamauerit, iure nunc, & merito anteaetae uitae fructus fert, &, in supremo dignitatis gradu positus, de hominibus benemereri non desistens, Te secundum se habet, qui, eum imitans, iisdem gradibus ad summam gloriam contendas, eamq. Tibi unam ob oculos ponens, iam affectus sis, ut omnes, qui aliquid sapere uidentur, Te suspiciant, obseruent, tamquam alterum Maecenatem in omni scripto praedicent. Me quidem tuarum laudum praeconem numquam senties in ijs celebrandis defessum, numquam defatigatum. Accidit quoque mihi mirabile admodum, ac iucundissimum, ut, cum Romam uenissem eo potissimum nomine, ut Te praesentem praesens uiderem, Tibiq. gratias uultu saltem referrem, (qui index animi certus est) quando per tenuitatem meam aliud non licet, Romam paene in ipsa urbe Roma quaesuerim. Ea enim se oculis obtulit meis, ut nouae Urbis faciem ostenderet, ita publicorum aedificiorum splendore, uiarum amplitudine, pontium magnificentia, incredibili fontium ubertate GREGORIUS Pont. quem omnis Christiana Resp. sanctissimum colit, eam exornauit, ut ad publicam commoditatem, ornamentumq. permultum additum, atque adiunctum esse uideatur. Sed, cum, quae Pontifex Maximus peregit praeclara, considero, uideo difficilior ea a me posse recenseri, quam ab ipso fieri. Faciant id, qui ingenio ualent, quiq. Romanam Ciuitatem sua praesentia honestant, Hippolytus Capilupus Episcopus, M. Antonius Muretus, Latinus Latinius, P. Angelius Bargaeus, Laurentius Gambaria. ijsint, qui suis & sermonibus, & scriptis praeclara haec, unaq. uirtutes tuas egregias ad caelum suis laudibus ferant. Ut Iulium Iacobonium meum sileam, fide, atque obseruâtia in Te singulari: qui, quantum ei per fortunam licet, certare etiam uel cum summae doctrinae uiris in tuae amplitudinis laude uidetur. Excepisti me igitur ea benignitate, quae tua propria est, quae Te & priuatis hominibus, Regibus quoque ipsis carum reddit. qua Tu, praeter ceteras uirtutes, quibus excellis, ita hominum Tibi uoluntates deuinxisti, ita omnium in te studia conuertisti, ut a Veneta Rep. in Venetam nobilitatem iam dudum sis adlectus. qui honos cum ijs tantum tribuatur, qui ipsum eximio aliquo merito promerentur, facis, ut iure omnes opti-

mo in

mo in te collatum existiment. Incredibile est, quantum omnes bonos, quantum omnes Italiae populos, ac longinquas nationes tui amplissimi nominis, ac famae ornamenta in Tui amorem, studiumq. alliciant. Ut omittam, quanta sit eorum, qui Romae adsunt, quibus in oculis es, quibus imperas, ad te diligendum propensio. Eaeme causae impulerunt, ut Paulli Patris mei Commentarium in Epistolas M. Tullij Ciceronis, quae Familiars uocantur, tuo nomini dicarem. Quid est autem, quod tuo maximo, celeberrimoq. nomini non maxime debeatur; uel Tibi, propter eximiam istam tuam in me beneficentiam a me non uel maxime deberi homines intelligant? Vel quis non aequissimum arbitretur, ut, qui Parentis mei in omni uita amantissimus, ac patronus semper exstiteris, eiusdem quoque lucubrationes, quae ad posterorum utilitatem proderentur, in tuam fidem, ac patrocinium commendentur? in quas ipse uniuersae fere uitae studium, atque industriam contulit: quarum eam, quam in eruditorum animis (ut, ni fallor, scis) expectationem commouit, scriptorum praestantia facile, ut spero, sustinebit. Quae si tibi, eruditissimo in primis, ac celeberrimo Principi, probabuntur, una opera & Pater meus studiorum suorum fructum satis amplum accepisse nulli non uidebitur, & mihi, qui pro uirili parte in his ingenuis artibus paternae laudis fieri aemulator studeo, ad non inferiora in dies animum addideris. Deus Opt. Max. dignitatem istam tuam perenni felicitate secundet. Romae. Id. Iun. ∞ DLXXIX.

Amplitudini tuae

Obsequentissimus, atque in perpetuum
deuinctissimus,

Aldus Manutius, Paulli F.
Aldi N.



IN . EPISTOLAS

M . TVLLII . CICERONIS

QVAE

FAMILIARES

VOCANTVR

PAVLLI . MANVTII

COMMENTARIVS



Argumentum epistolae primae Cicero^{nis}
ad Lentulum .



ARTES argumenti duae sunt , una & extrinsecus , & satis longe petita , quae ad regem Ptolemaeum proprie pertinet ; altera , quae sumitur ex ipsa epistola , & regiae causae statum explicat ; prior non aliena , posterior etiam necessaria . Rex Aegypti Ptolemaeus , Auletes dictus , quia tibijs canere , praeter dignitatem regiam , solitus esset , pater Cleopatrae , notissimae feminae , & eius Ptolemaei , cuius est iussu interfectus Pompeius Magnus , societatem , & amicitiam populi Romani diu expetitam impetrauit aliquando , Caesare & Bibulo cos . qua de re sic ipse Caesar lib . III . de bel . ci . Controuersias regum ad populum Romanum , & ad se , quod esset consul , pertinere existimans , atque eo magis officio suo conuenire , quod superiore consulatu cum patre Ptolemaeo & lege , & S . C . societas erat facta . Et in oratione pro Postumo : Non ei regi pecuniam credidit , qui alienus ab hoc imperio esset , sed ei , quicum foedus feriri in Capitolio uiderat . Eam autem societatem diu exoptatam esse a Ptolemaeo , nec nisi Caesare consule obtineri potuisse , intelliget , opinor , qui perpendet illud in ep . 16 . lib . 2 . ad Atticum : De rege Alexandrino , placuisse sibi , aliquando confici . Nam uerbum , Aliquando , negatam antea Ptolemaeo societatem , satis , ut opinor , ostendit . Nec uero minimam eius impetrandi honoris difficultatem Suetonius de-

A monstrat ,